



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 31. An valeat pactum sponsalibus adjectum, quod vir teneatur in certo loco commorari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

quàm ex eo; quòd matrimonium clandestinum redditum sit invalidum jure novo, sequatur, idem dicendum de sponsalibus clandestinis, *l. oratio*, ratio verò probans dispositum de matrimonio, dispositum quoque esse de sponsalibus, solum obtiner, ubi in utroque est eadem ratio. V. G. in personis inhabilibus ad contrahendum matrimonium, dum hæc etiam contrahere nequeunt sponsalia.

3. Resp. tertio: Conditiones possibiles & honestæ adjici possunt sponsalibus. Tamest autem contractus ille, quousque conditio eveniat non constituit sponsalia; quia non inducit obligationem contrahendi matrimonii; inducit tamen absolutam obligationem expectandi conditionis eventum, proinde si interea sponsalia absoluta contrahantur, hæc nulla sunt, quia obligationi obstant. Sanch. *l. 5. d. 8. Pontius l. 12. c. 7. n. 1. Castrop. p. 16. n. 5. Cöninck. d. 29. du. 1. n. 21.*

Quæst. 30. An impediti contrahere sponsalia sub hac conditione: si Papa dispensaverit; ea contrahere possint.

1. **R** Esp. Quamvis sententiam negativam probabilem dicat Castrop. affirmativam tamen tanquam veriotem amplectitur, citatis pro ea Cöninck ubi ante concl. 5. n. 18. Pont. *l. 3. de matr. l. 15. n. 2. Sanch. cit. d. 5. à n. 12. Rebell. l. 2. de mat. q. 10. f. 6.* Ratio est, quia talis conditio est possibilis (contra quod sentiunt plures apud Sanch. *n. 5.* eò quod, quæ à voluntate Principis pendent, censeantur quasi impossibilia, *l. 1. l. stipulatio. l. continuus. ff. de V. O.*) & est honesta (contra quod sentit Henricq. *l. 12. de mat. c. 10. n. 4.* eò quòd eà positâ juri communi derogetur, quod servare honestius, quàm in eo dispensationem procurare) illud enim reputandum est honestum & possibile, quod sæpe honestè fieri solet; sed positâ causâ legitimâ, sæpe solet, quandoque debet dispensare Papa in impedimentis matrimonii, Confirmatur à simili: votum factum ab Episcopo ingrediendi religionem, si Papa dispensaverit, est validum; litigantes super beneficio, licitè paciscuntur de pensione concedenda, si Papa permiserit. Neque primò obstant citatæ paulò ante leges; quia intelligendæ sunt, quòd conditio illa reputetur turpis, quando non adest causâ legitima dispensandi, vel etiam impossibilis, quando in ea Princeps non solet dispensare. Neque secundò, *l. inter stipulantem. ff. de V. O.* ubi, quòd nulla sit stipulatio de re sacra, publica, vel de homine libero, etsi res sacra fieri potest profana, publica, privata, homo liber servus; quia stipulatio non secundum tempus futurum, sed secundum tempus præsens est mensuranda; nam stipulatio talis conditionata: si res sacra fiat profana, sive stipulatio talis relata in tempus, quo fiat profana, tanquam turpis annullatur à jure; quia est conditio incivilis, tristis, derogans dignitati & statui hominis liberi, rei sacre, publicæ, ideoque potius timenda quàm expectanda, secus ac res se habet in conditione dispensationis in impedimento matrimonii.

2. Verùm circa talem contractum notanda sunt sequentia: Primò nemini ex taliter contractibus licitum esse resilire, neque ante, neque post impetratam dispensationem, Castrop. *l. c.*

n. 10. Sanch. l. c. d. 5. n. 13. Pont. l. c. c. 13. n. 21. contra Gutt. *l. 1. q. 9. can. c. 22. à n. 17. Rodriq. tr. 1. c. 244. n. 9.* siquidem contrahentes sub conditione sibi invicem obligantur ad rem promissam non absolute, sed dependenter à conditione; sed si unusquisque eorum pro libitu resilire possit ab obligatione, sibi invicem obligati non essent; Neque his obstat, (quod est fundamentum contrariæ sententiæ) quòd impuberes contrahentes obligentur, & licet durante impubertate non possint resilire, possint tamen id facta pubertate: nam id non jure naturæ, sed à jure positivo favore ætatis concessum. Secundò ante impletam conditionem contractum illum non esse sponsalia; quia non est obligatio absoluta & directâ matrimonii contrahendi; quod necessariò ad sponsalium valorem, ex quibus oritur impedimentum publicæ honestatis, requiritur, ut deciditur *c. 1. h. r. in 6. Castrop. num. 11.* Tertio adveniente conditione, opus non esse novo consensu, sed consensus & contractus prior jam evadens absolutus constituit vera sponsalia; cum obligatio conditionata conditione positâ transeat in absolutam. Castrop. *l. c. Pont. l. 3. c. 14. n. 7. Cöninck d. 29. d. 1. n. 2. Sanch. l. c. num. 24. contra Henricq. l. 12. de mat. c. 13. in fine.* Quarto dispensationem illam communibus sumptibus procurandam (nisi fortè pars una expressè se obligaverit) quia negotium commune est. Sanch. *n. 37. Cönl. c. Castrop. n. 12.* Quintò, de cætero eum, qui promissit consanguineæ matrimonium sub dictâ conditione, si Papa dispensaverit, teneri eam procurare, tenent Tabren. *V. Sponsalia q. 8. mm. 9. Acmill. n. 11. Per. Ledesma. de mat. d. 5. q. 6. num. 36.* quos refert & sequitur Sanch. *num. 36.* eò quòd matrimonium illud cum perfici nequeat sine dispensatione, promittens illud, tacitè promittit, quæ ad illius consecutionem sunt necessaria. Contrarium nimirum nullam esse obligationem procurandi dispensationem, & quidem, etiamsi sub dictâ promissione matrimonii violata sit virgo, tenet Castrop. *cit. num. 12.* citatis Nav. *l. 4. constit. de sponsal. conf. 25. Cönl. du. 2. num. 35.* eò quòd positò, quòd non promiserit quis procurare dispensationem, ad eam procurandam obligari nequit, nisi quatenus se obligavit ad contrahendum matrimonium; ad illud autem se non obligavit absolute, sed positâ dispensatione, quam procurare non promissit; non secus ac qui promissit matrimonium sub conditione; si pater consentiat, non exinde tenetur procurare patris consensum, sed is eum procuret, cujus interest. Addit tamen Castrop. quòd, si quis promittens puellæ matrimonium, dixerit, se facile impetraturum consensum, & sub ea spe puella deflorationi consentit, teneri illum dispensationem (etsi non solis suis sumptibus) procurare; quia eo casu tacitè vel potius expressè eam procreationem promissit, ut Cöninck. *n. 35.*

Quæst. 31. An valeat pactum sponsalibus adjectum, quòd virteneatur in certo loco commorari.

1. **R** Esp. primò: Si pactum tale sit de commoratione in certo loco pro determinato tempore, licitè apponitur contractum sponsalium quàm matrimonii; quia obligatio permanendi in aliquo loco pro aliquo determinato tempore

ob honestam causam assumpta ex propria voluntate libertati naturali contraria non est. Castrop. l. c. p. 15. §. 2. n. 1. dicens esse ferè communem.

2. Resp. secundò: si verò sit de habitatione perpetua, Dinus, Bart. Bald. Alberic. in l. Titio centum. §. eodem ff. de condit. & demonstr. & plures alii apud Castrop. l. c. n. 2. censent esse invalidum, & pœnam impositam non servanti non debent. E contra validum esse tale pactum, probabilis tenent Castrop. n. 3. citatis additionat. ad Bartol. in cit. l. Titio centum. Host. in sum. de coning. servor. n. 5. Sylv. v. uxor. q. 8. Rebuff. de privil. Scholast. privil. 77. in fine. Pont. l. 12. de Sponsal. c. ult. n. 3. & 8. Gutt. de mat. c. 23. n. 25. Sanch. d. 40. à n. 2. Tale enim pactum non reprobatur jure positivo, ut constabit ex mox dicendis; quin approbatur l. cum scimus. c. de agricol. & censuris; ubi deciditur, posse quemvis se efficere colonum adscriptitium obligatum fundi culturæ perpetuo insistere, neque inde sine licentia domini recedere. Neque repugnat juri naturæ; quia non admittit libertas, etsi aliquantulum restringatur, quæ restrictio propria voluntate admissa est licita, & honestatur ob traditam sibi uxorem, & bonum, quod inde accipit, sicut honestatur obligatio, quam moniales contrahunt manendi in certo monasterio; quin & est matrimonio favorabilis, dum unius domicilii electio & retentio individua & inseparabilem conjugii vitam fovet; & esto, uxor viro subdita sit, illumque constituentem sibi domicilium sequi teneatur, potest tamen vir ipse obligare se uxori, quòd extra talem locum domicilium non constituat, cum nulla in hac obligatione sit turpitudine; præsertim cum unusquisque possit rem propriam tradere sub conditione, quæ sibi placet. l. in traditionib. ff. de pactis. c. verum, de condit. apposit. approband. que sit talis conditio habitandi in aliquo loco, dum exigitur ab eo, qui in eam personam, à qua exigitur, jus aliquod habet vel habiturus est, ut uxor jus in maritum habet, & sponsa in sponsum habitura est. Neque his obstat cit. l. Titio centum, ubi dicitur: Titio centum relicta sunt ita, ut de monumento meo non recedat; vel in illa civitate domicilium habeat, dici potest non esse locum conditioni, per quam jus libertatis infringitur &c. Nam id verum est, seu rejicienda à Legato est conditio, quando eidem vanè & inutiliter apponitur; secus, quando justè, utiliter & in favorem alicujus statuitur, ut contingit in præsentem, dum cedit conditio in maximum uxoris favorem, ne patriâ defertâ & consanguineis relictis cogatur inter extraneos vivere. Gutt. c. 23. n. 15. Sanch. l. c. Acofta. l. 2. selectar. interpret. c. 19. num. 5. Castrop. n. 10. qui etiam ibidem ex eodem Acofta. notat, diversa esse legare 100. Titio sub conditione, quòd in tali loco habitet, & legare ei, dum in tali oppido fuerit; & in priori rejici conditionem, legato subsistente, si in nullius favorem cedat ista conditio, utpote quæ servitutis speciem contineat; in secundo verò retineri conditionem, etsi in nullius favorem cedat; eò quòd non gravetur legatarius ob legatum ad

onus sustinendum, sed spe legati obtinendi alliciat ad portandum onus.

3. Ex dictis deducuntur sequentia; primò, posse similiter apponi pactum non ingrediendi talem vel talem urbem, eò quòd abstinere ab ingressu civitatis, ex quo oriri possunt iuxta aliave gravia incommoda, honestum est, & reipublicæ conveniens, adeoque ad hoc obligari quis potest. Castrop. l. c. n. 12. Pont. l. 12. de mat. c. 20. n. 9. secundò tamen pœna appositæ Sponsalibus pro eorum securitate reprobetur c. gemma. h. r. non tamen ea, quæ apponitur in matrimonii favorem, & ob mutuam conjugum cohabitationem; adeoque, si sub aliqua pœna obligetur maritus ad non mutandum domicilium, tenei cum eam solvere interveniente sententia, Castrop. n. 4. citatis Abb. in c. 1. qui matrim. accus. poss. n. 5. Alex. n. 6. Pont. c. 20. n. 8. Sanch. l. 1. d. 40. num. 5. Gutt. c. 23. n. 16. Tertio uxorem non obligari sic descendente maritum comitari; cum pactum hoc eo fine, præcipue ne uxor cogatur relinquere patriam, parentes, consanguineos, quòd durum est, adjectum sit. Castrop. n. 6. Sanch. num. 6. Gutt. n. 18. Quarto, maritum descendente injustè à loco promisso posse ab uxore vindicari, ut in loco promisso demoretur, quia uxori infert injuriam eam injustè deserendo. Gutt. l. c. Castrop. n. 5. & apud illum alii.

4. Porro num maritus obligationi suæ satisfaciatur solvendo uxori interesse, etsi in loco promisso non habitet, in eo non conveniunt AA. Covar. 4. decret. p. 2. c. 7. n. 5. Gutt. l. c. & plures alii affirmant, eò quòd promittens factum, si solvat, quòd interest promissarii, ab obligatione liberetur. l. in stipulationib. l. stipularionis. de V. O. Nihilominus contrarium tenent Castrop. num. 8. cum Pont. l. c. n. 7. eò quòd optimè quis possit obligari ad factum præciè, ut Gutt. de juram. confirmator. p. 1. c. 39. n. 5. dicta autem obligatio manendi in loco promisso est juri naturali conformis; est etiam jure civili permilla. l. juris gratiæ ff. de pactis, & jure canonico approbata; c. qualiter. de pactis; sæpe enim pacificenti interest factum, quo calu, ut Bald. in l. cum precibus, c. de rerum permut. n. 1. satisfieri non potest solutione pecuniæ uxori pacificenti, ne maritus ex rati loco discedat, quia omnibus divitiis habitationem mariti in eo loco præfert.

5. De cætero hucusque dicta procedunt, modò non emergat causa nova mutandi domicilii; V. G. quia locus sanitati mariti est nimis noxius, vel in eo capitales inimicitias contraxit; quia tunc non tenetur stare promissis etiam juramento firmatis, absque ulla obligatione solvendi pœnam aut interesse. Pont. n. 8. Sanch. d. 40. n. 3. Gutt. c. 28. n. 17. Tiraq. lege connub. gl. 1. p. 1. n. 39. Castrop. n. 9. Uxor verò obligatur tunc comitari virum in iis eventibus, in quibus esse obligata, si pactum non intercessisset; quia dictum factum, cum cesset, diminuere nequit obligationem uxoris,

Castrop. l. c. cum Gutt.
num. 19.